bri tota regio utitur ; at hyeme frigida, & diuturna vexatur. Hanc efficit partim fluminum & lacuum crebritas; partim opacitas & amplitudo nemorum, quæ vim ſolis calidam infringunt ; denique nivium copia, quibus terra tres quatuorve menſes, in iis locis quæ ad Boream propius accedunt, & eidem ac vetus Gallia parallelo ſubjacent, continenter inhorreſcit. Humus omnium arborum plantarumque feraciſſima, præſertim ubi exciſæ ſilvæ locum culturæ majorem præbuerunt. Quadrupedes eædem, quæ in Europa : nonnullæ regionis propriæ ſunt, ut alces. Magnam belluam indigenæ appellant. Id nominis invenit à mole corporis : bovem enim æquat magnitudine. Mulum capite refert; cervum cornibus, pedibus, & cauda. Eam